



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ascensus Moysis in montem Seu De Oratione Tractatus Tribus Stationibus ac vijs Purgatiua Illuminatiua Vnitiua distinctus**

**Crombecius, Johannes**

**Avdomari, 1618**

3. Iejunij solemnij quadraginta dierum antiquitas & obligatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38133**

utrum eius, in possessionem venimus, eaque  
pacifice fruimur.

## SECTIO TERTIA.

*Ieiunij solemniss quadraginta dierum, anti-  
quitas, & obligatio.*

3. **P**raeter illam modo dictam possessio-  
nem, post hominum memoriam  
conservatam, veritatem hanc probare statuo  
temporum lapsibus iam inde ad tempora A-  
postolorum, qui Spiritu S. auctore, verbo, scrip-  
tis, exemplo huic sanctissimo instituto iniura  
dederunt. In concilio Toletano octavo, ita  
severè Patres illi quadragesimam observan-  
dam esse decernunt, ut ijs & corporis Domi-  
ni communionem in paschate negent, &  
toto anno carniū vsum interdiciant, qui abs-  
que necessitate quadragesimam violare ausi  
sunt; quæ verò talis sit necessitas, non homi-  
nes quocumque, sed solos Domini Sacerdo-  
tes dijudicare voluerunt.

4. Pergo ulterius. In Concilio Laodiceno *Serm. 9.*  
ante annos mille duccenos celebrato, frequē-  
tissima mentio est quadragesimæ. Divus Leo *de qua-*  
dragesi-  
ma  
vt ceteros omittamus sui temporis, quadra-  
gesimæ ieiunium, ab ipsis Apostolis institutum *Epist.*  
atque ordinatum fuisse luculenter docet. Be- *119.*  
atus Augustinus quadragesimæ observationē  
ab ipsis divinis literis, & veteris & novi  
*Eccl. 3. 119.*

testamenti desumptam esse demonstrat. Theophilus Alexandrinus. Habemus, inquit, quae Paschal. dragesimam ab Apostolis institutam & ordinatam. D. Ambrosius. Non, inquit, fratres leve peccatum est, fidelibus indictam quadragesimam à Domino, violare, & ieiunia consecrata mensis voracitate dissolvere. Scriptum est. Qui dicit se in Domino manere, debet sicut ipse ambulavit, & ipse ambulare. Ille qui peccatum non habebat quadragesimam ieiunavit: tu non vis quadragesimam ieiunare, qui peccas.

Orat. 2. de ieiun. Ieiunij magni laudes.

5. Excellenter Basiliius, ut solet triumphat in hoc argumento, Est, ait, omni tempore ieiunium utile volentibus ipsum. Neque demonum insultus ieiunantem petere audent; & custodes vitae nostrae angeli lubentius perseverant apud eos, qui animam purgatam habent per ieiunium. Nunc verò (nempe in quadragesima) multò amplius cum in omnem terrarum orbem, eius praconium annuntiat: & neque insula aliqua, neque terra firma, non civitas, non gens, non extremitas est, ad quam praedicatio ipsius non perveniat; sed & exercitus, & viatores, & mercatores omnes equaliter, & praecceptum audiunt, & cum gaudio suscipiunt. Quare nemo se ipsum ex ieiunantium catalogo eximat, in quo omnia genera, omnis aetas, & omnes dignitatum differentia recensentur. Angeli sunt qui per singulas ecclesias ieiunantes describunt. Hæc Basiliius.

In Epist. 6. Accedamus propius ad tempora Apostolorum. Divus Ignatius, Ioannis Apostoli

discipulus, Philippenses sollicitè monet, vt ieiunium quadragesimæ magni faciant, quando qui quadragesimam ieiunant, non homines, sed Deum ipsum imitentur, qui carnem nostram pro nobis indutus, quadragesimam consecraturus, quadraginta dies, & quadraginta noctes ieiunavit. Denique octavo inter canones ab ipsis Apostolis conditos; qui quadragesimam non ieiunaverint, iubentur, (si clerici sint) deponi; si laici, excommunicari. Itaque non frustra Sacrosancta Mater Ecclesia fidelibus suis, quod ab Apostolis, quod à maioribus accepit, nobis sub gravi interminatione observandum tradit, mandat, iniungit; & vt perpetuo ritu celebretur, pro virili perficit.

Cant. 8.

## SECTIO QVARTA.

*Rationes instituti sacrosancti ieiunij dierum 40.  
eiusque fructus.*

I. **O** Pinabitur forsitan quispiam superstiosum quid, in præciso numero quadragenario contineri; parum item referre; si quis triginta, aut viginti, aut etiam 60. dies ieiunii sacri compleat? Cur etiam continuos quadraginta dies Ecclesia requirat? Cur certo & recurrenti tempore? Cur totius temporis pars in vere, pars in estate, autumnno item, & hyeme non compleatur? Ab-

Ee 4

lit